



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quomodo recolenda sint peccata. Can. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

sufficis respondere: sed in omni opere insufficientis es, & æges misericordia mea. Non ergo fidas in confessionibus tuis, sed in miserationibus meis: hæc enim sunt quibus iustificari te oportet. Interim enim quæ sic occuparis circa peccata tua, conuerti deberes ad me & mea gratiosa præsentia frui. An frandem non aduersus inimici? Ided enim circa peccatorum tuorum numerandos atque recogitandos fructores tuos detineris, vt alia interim multo salubriora, quibus deuotio tua accendi deberet, negligas. Scito igitur hoc mihi præcipuè placere, vt de me sentias in bonitate, & in simplicitate me queras. Sentias me benignum, piuum, compasium, misericordem, optimum. Confide mihi, spera in me. Quære potius gratiam, amicitiam ac familiaritatem meam, & pro ijs habendis exercitia deuotionis tue dirigas. Senties procul dubio longè vberiore fructum animæ tuæ, si quomodo amas, quomodo mihi placeas, quomodo me imiteris, studium tuum sit, quam quod confessa denuò confitearis, aut quod scrupulos inquiras, & exhauriens eosdem, novos semper tibi generes. Non potes me nimis piuum aut misericordem æstimare, modo super misericordia mea ne dereliqueris, non potes nimis mihi confidere.

Sapientia.

A peccatore conuerso quid Deus sequatur.

Exercitium peccatricis animæ sed conuersæ quod.

Scrupuli conscientia quando omnes abijciendi.

Exercitium tuum igitur sit bene de me sentire, quod nolim te damnare: quia de re vera quemlibet saluari volentem, quemlibet non desperantem, damnare nolo. Sufficit mihi o filia, quod peccasse doleas, quod peccare etiam deinceps nolis. Iam in statu es salutis: quid trepidas? Dives ego sum, & clemens in miserationibus infirmitatis. Sic me cogita. Inde enim maiori me afficis honore, quam quod quasi crudellem aut durum me imagineris, aut ita formides, quasi ad hoc solum vigilem, quomodo capiam & inuoluam homines, si fortasse hunc vel illum scrupulum, si hanc vel illam circumstantiam neglexerint in confessione. Porro, si mortale certum ad memoriam redierit ante non confessum, illud cum omni tranquillitate confitearis. Habita semel vna bona examinatione conscientia ante confessionem generalem, deinceps post confessionem scrupulos abijce: noli denuò inuestigare conscientiam, ne inquietudinem tibi parias semper confitendi. Per alia bona exercitia ad amorem aduentia, scrupulosam illam inuestigationem exclude. Ceterum si obseruaueris scrupulos, si scrutari, si ruminari, si inuestigare singulas formidines, atque timores volueris, mille tibi parabuntur insidie. Propterea (quod dixi) semel diligenti facta confessione omnium peccatorum tuorum, semel habito proposito nihil tacendi in confessione, quod noueris confitendum, deinceps sta in pace, rejice in os diaboli scrupulos omnes. Ego te desidero, ego tua amicitia potius capio, ego abs te amari peto: curâ igitur meâ vt respondeas voluntati.

Quomodo reuolenda sint peccata.

CANON VI.

Intellige, scito & iudica te peccatricem animam esse. Cognosce te multum offendisse, ingratisimam atque rebellem, contumeliosam atque blasphemam, a me præceptis ac votis te contraxisse: & inde humiliare adeo, vt ne oculis quidem ante me leuare audeas sordibus & abominationibus plena. Porro ad peccata tua singulariter enumeranda (si quando vel sine scrupulo ad contritionem aut humilitationem tui id cupias) non exeat. Nam sunt qui peccata sua recolunt, vt vel ad risum, vel ad delectationem, vel è diuerso ad desperationem,

vel alia eiusmodi inconuenientia moueantur. Quod idcirco fit maximè, quia pro obiecto cogitationis ipsa peccata sua assumunt, illa inspiciendo, & ad illa se conuertendo, loquuntur atque disputant cum illis extra me. Atque idè dum sua peccata secum ipsi tractant quamlibet bona intentione, magis tamen obtenebescunt, quàm illuminantur. Tu verò cùm peccatricem te cogitare, cùm te humiliare vis, relinque peccatis, ad me conuere: mecum de peccatis, de infirmitatibus, de defectibus tuis tracta: mihi quarimonias tuas aduersum te expone, mihi loquere, mihi quàm iniquè egeris, te accusa. Inde fiet vt peccatorum tuorum accusatio in orationem conuertatur. Quapropter ad me conuersa orando, peccata tua mecum tracta. Hoc modo conscientia tua serena efficitur & tranquilla: affectio quoque tua ad me conuersa, ex me inflammatur.

Accusatio peccatorum quomodo esse fieri debeat.

Quomodo satisfaciendum sit pro peccatis.

CANON VII.

IAM verò de satisfactione pro peccatis hoc consilium tu amplectere, vt quicquid manus tua potest instanter opereris: non tamen eo animo, aut eo fine, quasi tu peccata tua redimere velis, aut satisfacere queas. Ad hoc enim opera tua nimis indigna nimisque imparia debes aestimare. Sed age omnia vt mihi placeas, quem offendisti. Me roga potius, & mihi ita confide, vt meritis passionis ac vitæ meæ satisfactissimæ tua velim abolere delicta, atque pro illis Patri meo satisfacere. Hæc humilitas, hæc fiducia ad me tua, quibus te ipsum operaque tua vilificas, me verò ac merita mea extollis, omnia satisfactionis tuæ opera excellit (quandoquidem vna gutta sanguinis mei excellit, & valoris ac satisfactionis plus habet omnibus meritis humanis: idè pro peccatis totius mundi satisfacit) & me inclinatur ad te, vt meritorum meorum thesaurum tibi faciam communem. Quapropter hoc præcipuum sit studium tuum, vt beneplacitum meum non negligas, vt me continuè cogites, desideres, ames: & quæ iussi siue per me, siue per vicarios meos, imò quæcunque volo diligenter perficias. Et si mille millium peccatorum haberes acervos, omnia sicut vnum peccatum dimitto. Neque enim distat apud me saluare ex paucis vel ex multis peccatis. Vnde mille peccata sicut vnum ignosco. Mirum est quod dicturus sum, certissima tamen indubitataque fide tenendum: Si totus mundus esset globus igneus, & in medio eius de stipula lini pugillus vnus, hic ex sua naturali inclinatione non tam cito flammaram reciperet incendium, quàm recipit abyssus miserarum mentium mearum peccatorem penitentem & conuerti volentem: quia in illa actione naturali quantalacunque pateretur morula, licet minima ac fortassè imperturbabilis, hic verò nulla penitus mora inter penitentem & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

Eccle 9

studium præcipuum penitentis quid esse debeat

Misericordia Dei quæ immensa erga peccatores.

Certis horis diei debet examinari conscientia.

CANON VIII.

CONGRUIT autem homini vt certa habeat exercitia, quibus peccata vel quotidiana exhauriat, & seipsum gemitibus ac cordis doloribus lauet, bestendo genua, suspirando veniam, in terram aspiciendo, pectusque tundendo. Nam

M m m 3 omni